

T I T. VII.

De Institutionibus.

62 **I**nstitutio late sumitur pro nominatione, & presentatione: strictè pro quacumque collatione beneficii, & in hoc sensu dicitur in c. 1. de Reg. jur. in 6. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri. Et in hac acceptione duplex est institutio, alia libera, quæ collatio dicitur: alia necessaria, quæ propriè dicitur institutio. Collatio libera beneficii est illa, quæ alicui nullum jus ad beneficium habenti, liberè beneficium confertur. Collatio necessaria, seu institutio propriè talis, est illa, quæ conceditur beneficium præsentato à Patrono ad beneficium patronatum vacans. Et profectò, si præsentatus idoneus est, & præsentatio in tempore legitimo sit facta necessàriò ipsi debet beneficium conferri. Et ideo institutio, vel collatio necessaria dicitur. Nunc ergo de utraque, sed prius de institutione propriè talis, postea de libera collatione agendum est. Et quidem patroni præsentatio solum dat præsentatio jus ad rem: quod si idoneus sit, nequit à superiore, ad quem pertinet institutio, repelli: imò illum instituere debet, & per hanc institutionem ipse acquirit in beneficio titulum, proprietatem, seu jus in re, potestque beneficium administrare. Si tamen sine institutione Canonica beneficium acceptet, & administrat, male faciet, non tamen amittit jus, quod per præsentationem adquisivit, sicut amittit electus, qui ante confirmationem se administrationi ingerit. Hic enim amittit jus, quod per electionem adquisiverat. c. 5. de Elect. in 6. sed cum hæc constitutio sit pœnalis, non debet ad eam præsentationis non expressum extendi; arg. c. 15. de Reg. jur. in 6. Ita Less. de Jus. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 15. & alij contra Garc. & alios. Si non verus Patronus, sed tantum existimatus præsentet, si erat in possessione juris patronatus, & hæc bona hinc præsentet, Clericus sic præsentatus valide instituitur ab Ordinario, & debet sustineri talis institutio, etsi postea, lite mota super patronatu, sit vicus talis Patronus existimatus. c. 19. de Jure Patronat. Sed necesse est, ut constet, Ecclesiam esse Patronatam: non enim aliter admittitur præsentatio, nisi prius doceat præsentans de titulo, & proprietate juris patronatus ex fundatione, vel dota-

tionem, &c. vel ex pluribus præsentationibus tempore immemoriali factis. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9. Garc. de Benef. p. 54. cap. 5. n. 141. & 142.

63 Si institutio fiat ab Episcopo, neglecto præsentato, vel sine præsentatione, & consensu Patroni, ipso jure est irrita. c. 32. 16. q. 7. Et sic intelligendus est text. in c. 8. de Jur. Patron. ubi dicitur irritanda, quod idem ibi significat, ac irrita, & solum erit irritanda de facto, id est, declaranda irrita. Et Patronus potest præsentationem à se factam urgere, vel si adhuc tempus à jure præscriptum non sit elapsum, alium potest præsentare, & si hic secundus instituitur, dummodo dignus sit, etiamsi prior sit dignior, præsentatur secundus. Quippe habet jus in re ex institutione ad quicumque si plures sint præsentati ad idem beneficium, præsentatur à majori parte præsentatus, si dignus sit etiamsi à minori parte præsentatus, sit dignior: nam hic censetur omnino non præsentatus. c. 3. de Jur. Patron. Quando verò præsentati sunt pares in voce, & lapsum est tempus Patronis concessum, digniorem debet Episcopus instituere; arg. c. 3. & 24. de Jur. Patron. digni tamen institutio erit valida, sed illicita, cum digniorem debeat instituere Episcopus. Idem dicendum est, quando plures simul, vel successivè ab eodem Patrono Laico præsentantur.

64 Institutionem ergo debet præcedere patroni præsentatio. c. 8. de Jur. Patron. Aliter facta nulla est, nisi ex post facto patronus consentiat, imò & si eadem persona competat jus præsentandi, & instituendi, debet fieri præsentatio, & institutio, si ex diversis titulis procedat. v. g. si Episcopus esset simul Abbas alterius Ecclesiæ, & tanquam Abbati competeret præsentare, & tanquam Episcopo instituere: tunc prius faciet, ut Abbas præsentationem: expedit tamen, quod per Procuratorem præsentet; arg. c. 11. de Appell. in 6. Et postea, ut Episcopus institutionem faciat. Quod si eadem præsentatio, & institutio competat ratione ejusdem Ecclesiæ, vel Dignitatis, tunc unico actu utraque expedit potest. Ante institutionem debent citari omnes quorum interest, per edictum in loco consueto publice affixum, ut intra terminum preempatorium ibi præscriptum, compareant ut opponant, si quæ opponenda institutioni habeant; arg. c. fin. de Elect. in 6. Institutio facta, vel ante terminum præfixum, vel sine assensione edicti, est nulla. Lacr. L. 4. n. 367.

n. 367. Et omnes Ordinarij, Papa inferiores, etiam Legatus Papæ, hac Lege de edictis ponendis tenentur. Papa tamen, qui legibus Ecclesiasticis non ligatur, beneficium Patronata providet sine edictorum assensione. Nec item est necessaria edictorum assensio in Dioccesibus, in quibus eorum usus est contraria consuetudine abrogatus. Nec requiritur in collatione libera Gloss. fin. in c. fin. de Elect. in 6. Si elapso tempore competentis præfixo in edicto, & institutione facta, compareat legitimus Patronus, qui jus suum deducere velit, non auditur pro ea vice. Quod si institutio nondum sit facta, admittenda est Patroni præsentatio; saltem si edictum ignoravit, vel impeditus fuit, ut tenet Garc. de Benef. p. 9. cap. 4. n. 14. contra alios. Institutio debet fieri interveniente Ordinarij, vel instituendi jus habentis autoritate. c. 3. b. t. Trid. sess. 14. de Ref. c. 13. Quod se Patronus Laicus præsumat in Ecclesia patronata Clericum instituere excommunicatur. Similiter, & Clericus institutus; imò si perlitat in delicto deponitur ab ordine, & ministerio Ecclesiastico. c. 4. c. 21. de Jur. Patron. Denique institutio, licet non ex jure scripto, saltem ex consuetudine debet, vel saltem expedit fieri in scriptis, sicut & præsentatio, ad faciliorem probationem. Lacr. lib. 4. n. 359.

65 Episcopus confirmatus, etsi consecratus non sit, potest instituere de Jure Communi Clericos præsentatos ad beneficia, quæ in sua Diocesi sunt. c. 3. b. t. Barb. l. 3. Jur. Eccles. cap. 12. num. 208. Lacr. l. 8. n. 360. Et super hoc jure habet fundatam intentionem, ita ut quicumque hoc jus habere prætendat, illud teneatur probare, & institutio erit invalida. c. 8. c. 21. de Jur. Patronat. Quando fundus, in quo est constructa Ecclesia, est sub lite, an ad hanc, vel illam Diocesim spectet, potest institutio fieri à quolibet ex his Ordinarijs. Si verò Ecclesia sit in confinio utriusque Diocesis, potest fieri institutio, vel ab eo Episcopo, in cujus territorio est porta principalis; arg. L. 91. §. 5. ff. de Legat. 3. vel ab Episcopo, in cujus territorio est caput, seu pars principalis Ecclesiæ; arg. L. 44. ff. de Relig. & sump. Nisi in utroque casu aliquis ex eis sit in possessione instituendi: nam tunc ipse instituet: quippe ejus conditio, ob possessionem, melior evadit. c. 65. de Reg. jur. in 6. Et licet Capitulum Sedevacante, non succedat in jus conferendi, quia hoc liberalitatis, & voluntatis est, in quod non suc-

cedit Capitulum, ne præjudicet Episcopo successori, qui non potest conferre beneficium, quod ad eum liberam collationem spectat; in jus ramen instituendi, quod necessitatis, & justitiæ est, profectò succedit Capitulum Sedevacante. c. 1. b. t. in 6. ibid. Barbof. Gonz. in c. 3. b. t. n. 2. Garc. p. 5. c. 7. n. 54. & 55. Lacr. L. 4. n. 360. Similiter Vicarius Generalis, licet solum ex commissione Episcopi possit beneficium conferre. c. fin. de Offic. Vicar. in 6. Tamen sine speciali ejus mandato instituere potest. c. 3. b. t. Barb. & Gonzal. ibidem. Non solum Prælati habentes Ecclesiam plenissimo jure ipsis subjectam, utpotè Ordinarij illius instituere valent, sed etiam alij Prælati, Episcopo inferioribus, si privilegio, vel prescriptione jurentur, imò jure Decretalium in fundatione poterat hoc jus instituendi Prælati inferioribus reservari. c. 6. b. t. Secus post Trid. sess. 14. de Ref. cap. 12. ibi Hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservatur. Barbos. l. 3. Jur. Eccles. cap. 12. n. 208. Sed etiam post Trid. hoc jus potest his Prælati in fundatione de consensu Episcopi reservari; tenet Lacr. l. 4. n. 361. cum alijs: nam Trid. intelligitur, nisi Episcopus consenserit. Trid. namque solum vult, quod Episcopus, ad quem de jure spectat institutio non excludatur invitus, non verò tollit, quod ipse possit cedere juri suo, & alteri institutionem concedere. Laicus, Jure Communitate, nequit instituere, cum jus instituendi spirituale sit, quinimò, neque ex prescriptione potest instituere, neque ex consuetudine immemoriali, quia hæc in subiecto incapaci possidendi jus instituendi, utpotè spirituale, seclius privilegio; non obtinet vim privilegij. Ex privilegio tamen Pontificis bene potest Laicus instituere, etenim R. Pontifex ex plenitudine potestatis, non solum Laicus potest hanc facultatem communicare, sed etiam Abbatibus, & alijs Præpositis Monialium, quia hoc non pertinet ad potestatem clavium, sed ad jurisdictionem voluntariam, quæ feminis potest à Pontifice communicari; arg. c. 12. de Major. & obed. Lacr. l. 4. n. 362. & alij comm. Et hac etiam ratione potest institutio fieri extra Diocesim instituentis, & in quocumque die, etiam in die feriato. Cum enim sit actus extrajudicialis jurisdictionis voluntariæ; qui sine strepitu, & figura judicij sit, non violat jus alterius, nec sanctitatem diei festi. Garc. de Benef. part. 5. cap. 8. ex num. 138. Barbof. de Offic. Epis-

Episcop. alleg. 73. num. 195. Laer. l. 4. n. 366.

66 Cum inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis, nemo se ipsum immediate, & directe instituere potest. *c. fin. b. t.* Sicut nemo potest se eligere, vel presentare. *c. 26. de Jur. patron.* Imò nec per alium a se ad hoc delegatum. *ex c. 72. de Reg. jur. in 6.* Nisi alicui totam potestatem instituendi delegasset: tunc posset per talem delegatum proprio nomine agentem. institui. *Barbos. in c. fin. b. t. n. 3.* Licet enim, qui potestatem habet dispensandi, eam utpote jurisdictionis voluntariae secum ipso possit exercere, scilicet, dispensando, vel facultatem dispensandi delegando. *Sanchez de Matr. lib. 8. D. 3. ex n. 6.* Sicut Praefes potest se ipsum emancipare, vel in adoptionem dare. *l. 3. ff. de Adoption.* nulli tamen permittitur se ipsum instituire, ut sic arceatur omnis ambitionis, & avaritiae suspicio. *c. 26. de Jur. patronat.* & ut fraudes evitentur, in quibus facile de possent conquirere institutores, ubi agitur de proprio commodo ab ipsis percipiendo; *arg. L. 1. l. 5. §. 2. ff. de Auctor. Tutor.* Praeterea instituendi in beneficiis debent esse Clerici, saltem prima tonsura insigniti. Laici enim nequeunt in beneficiis Ecclesiasticis institui. *c. 2. b. t.* Aliquibus Principibus exceptis, quibus aliqua praebendae honorariae nullum officium spirituale exigentes, conferuntur, ut Regi nostro in Ecclesia Toletana, & Legionensi: Regi Galliae in Pictavienfi, & Caenomanensi. *Gonz. in c. 2. b. t. num. 2.* Si Clericus praesentatus non habet actu ordinem: v. gr. Sacerdotium ad beneficium requisitum, si intra annum potest ordinem suscipere, instituendus est. *Cl. 2. de Aet. & qualit.* Sic sufficit praesentatum ad Parochiam promoveri intra annum ad Sacerdotium. *c. 2. b. t. in 6.* Instituendi esse debent literati, & alias idonei, undecumque originem duxerint, quia in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec Sanctuarium Dei convenit jure hereditario possideri. *c. 5. b. t.* Si vero beneficium fundatum sit pro personis ex certa Civitate, vel familia oriundis, illi sunt instituendi, si alias idonei sint. Sic in nostra Hispania beneficia, quaecumque sint, non nisi Hispanis, vel jure Hispanorum gaudentibus conferri possunt, cum sint patrimonialia: imò in aliquibus Dioecibus, solum in tali Dioecesi natis debent conferri beneficia, & non alijs. *L. 14. cum segg. tit. 13. lib. 1. R. G.*

67 Quamvis praesentationi faciendae sit tempus praefixum, sicut, & electioni, & liberae collationi; nullum est praescriptum, intra quod post praesentationem factam, fiat institutio. Hinc, si ille, ad quem institutio spectat, nimium differat, ipsi praefigitur a superiore certum tempus. v. gr. duorum mensium, intra quod institutionem facere cogatur: quod si adhuc ultra differat, legitimo impedimento cessante, adiri potest Episcopus: & si hic sit negligens, Metropolitanus, vel Papa, aut ejus Legatus, ut institutorem compellat, vel ipse instituat, inferioris defectum supplendo. *Gare. de Benefic. p. 10. c. 4. Barbos. de Offic. Episcop. alleg. 72. ex n. 191.* Potest institutor, etiam post praesentationem factam, differre institutionem usque ad lapsum quatuor, vel sex mensium, qui Patronis conceduntur, ut Laicus possit variare, si velit, vel si Patronus Ecclesiasticus est, ut possit in eo termino comparere, si forte à non vero patrono arretetur praesentatio. Et ob has rationes expedit, institutorem expectare donec terminus sit lapsus. *Laer. lib. 4. n. 36.* Deinde Clerici, Monachi, & Moniales debent recipi in Ecclesijs, vel Monasterijs promeritura redituum, ita ut nec plures, quam ali possint recipiantur. *c. 1. b. t. Tridentin. sess. 25. de Regul. cap. 3.* ne egestas eos ad incidentia exercenda compellat; vel contrahant debita, quae non possint solvere cum creditorum damno; nec pauciores, quam possint ali. *Arg. cap. 1. c. 4. b. t. c. 9. de Vit. & honest. Cleric.* Ad quod possunt Praelati, vel Conventus à Superioribus compelli, maxime in Ecclesijs non numeratis, quae certum numerum Clericorum, vel Regularium non habent. *c. 9. de Vit. & honest. Clericor.* Et contra: Capitula, vel Conventus non possunt cogi, alicum recipere ultra eorum facultates. *cap. 4. b. t.* habito respectu ad onera illorum, tam quoad sustentandos Clericos, vel Monachos, quam ad fabricam Ecclesiae, hospitalitatem, elemosynas, & alia hujusmodi. *Arg. c. 12. de Praebend.* Si incrementum redituum notabile, & permans sit: numerus Clericorum, vel Monachorum, & si à Papa definitus, & confirmatus sit, potest augeri; quia in confirmatione intelligitur illa clausula, nisi reditus exerceant. *c. 9. de Constitution.* Similiter potest numerus diminui, si decrementum censeatur stabile. *c. 12. de Constitution.*

68 Post institutionem *Canonicam, & colla-*

collationem sequitur institutio, quae in jure dicitur *authorizabilis, & est ea, per quam Clerico ad beneficium Curatum promotio. Cura animarum committitur exercenda per administrationem Sacramentorum: per quam simul datur jurisdictio fori poenitentialis, & auctoritas exercendi curam animarum.* Et etiam dicitur *approbatio: estque testimonium authenticum superioris legitimi praevis examine datum de idoneitate promoti ad beneficium curatum.* Et licet regulariter debeat praecedere examen ante hanc institutionem, sapè Episcopi, quando ipsis de idoneitate instituendi constat, examen omittunt; sed nullus appellationis remedium se tueri potest, quominus examen subire teneatur, praesentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegijs generalium studiorum exceptis. *Trid. sess. 7. de Ref. c. 13.* Sed ut in margine notatur, haec exceptio videtur revocata ab ipso *Trid. sess. 24. de Ref. c. 18.* Si ad ipsum spectet, ut ordinariè accidit, utraque institutio, utraque ab eo fit uno, eodemque actu & licet institutio collativa ad alium Praelatum spectet, institutio tamen authorizabilis de Jure Communi spectat ad Episcopum *cap. 4. de Offic. Archiepiscop.* Et Sede vacante ad Capitulum pertinet. Item ad Vicarium Generalem Episcopi, & Praelatis jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, & alijs ex privilegio Apostolico competere solet, quia non est actus Ordinis Episcopalis, sed jurisdictionis, & quidem necessariae, quae de jure competit praedictis. Beneficij fundator non potest Episcopum hoc jure privare, etsi conditionem in fundatione apponat, ut ad alium spectet haec institutio; imò pro non adjecta habetur, cum privatus nequeat Sacrorum Canonum dispositionem immutare, vel aliquid ipsis contrarium statuere. *c. 17. de Testament. l. 55. ff. de legat. 1.* Jus institutionis authorizabilis potest praescribi indirectè à Praelato inferiori Episcopo, quando scilicet beneficium curatum per praescriptionem omnino eximitur à jurisdictione Episcopi, & subjicitur alij Praelato habenti in Clericum, & Populum jurisdictionem quasi Episcopalem pro certo territorio; nam hac plena exemptione acquisita, & jus institutionis authorizabilis acquiritur, in quo conveniunt DD. Dissident tamen in concedenda praescriptione directa hujusmodi juris, maxime post *Trid. sess. 7. de Reform. cap. 13.* Ubi haec institutio tribuitur Episcopis, non obstante quavis privilegio, consuetudi-

ne, vel praescriptione etiam immemoriali. Et hinc negant talem praescriptionem. *Abb. Azor, Fagnan, & alij.* Eam tamen concedunt *Barbos. de Potestat. Episcop. alleg. 72. n. 185. & alij.* Nam *Trid.* intelligunt de consuetudine ante ipsum, non de posteroribus: nam etiam *Trident.* ibid. negat privilegium posse acquiri tale jus; quod nec adversarij concedunt: ergo *Trid.* non est accipiendum secundum totam vocum extensionem, & rigorem.

69 Ultimum complementum institutionis Canonicae est investitura, per quam Clerico postquam legitime consecutus est titulum, seu jus in re, confertur jus apprehendendi possessionem corporalem, & actualem beneficij. Dicitur etiam institutio corporalis, missio in possessionem, & installatio, seu in stallum, vel sedem introductio. Quando investitura fit verbis tantum cum alicujus signi traditione: v. g. birreti, vel clavis dicitur *verbalis*, si per actualem, & corporalem introductionem fiat, *realis* dicitur. Et quidem per possessionem Dignitatis, vel beneficij, etiam possessio rerum, & jurium ad Dignitatem spectantium, si vacant, acquiritur. *Covar. lib. 3. Var. c. 16. n. 13. Gonz. in Reg. 8. Camer. gloss. 5. §. 7. n. 7.* Episcopi investuntur per installationem varijs solemnitatibus peractam. Abbates, & alij Praelati per inductionem in Ecclesiam, & collocacionem in sede Abbatiali. Canonici per assignationem stalli, seu sedis in Choro, & Capitulo. Parochi, & alij Beneficij coram Episcopo, vel Vicario Generali, posseditam professionem fidei investuntur per impositionem birreti cum verbis significantibus investituram. Etiam investuntur, vel per inductionem in Ecclesiam, vel per osculum altaris, vel per contactum, & refectionem januae Ecclesiae, vel per inductionem in domum Parochialem, & traductionem clavium, & librorum: vel si in die festo, quando populus est congregatus, accipiat insignia Parochialia: vel per alia hujusmodi, sed in quolibet loco ejus consuetudo attendenda, & servanda est. Qui per institutionem obtinuit beneficium, non potest ejus possessionem, etiam vacuum, propria auctoritate apprehendere, si non praecessit ali-quod signum à Praelato datum investituram denotans. *Covar. lib. 3. Var. cap. 16. n. 7.* Quod si violenter beneficium priorum expellat, ipso jure, & facto in poenam temeritatis amittit titulum beneficij, & omne jus, quod antea ipsi competebat. *c. 18. de Praeb. in 6. arg. L. 7. G. Unde vi.*

Si nulla violentia intervenit, arbitrio iudicis punitur. *Covar. lib. 3. Var. cap. 16. n. 7.* Possessio beneficii potest non solum per ipsum beneficiarium apprehendi, sed, & per Procuratorem ad hoc speciale mandatum habentem, etiam si Laicus sit. Imò & mandatum generale sufficere tenent. *Covar. lib. 3. Var. cap. 16. n. 9. Vazq. de Benefic. cap. 4. §. 4. dub. 6.* quod negant *Gloss. in c. 17. de Præb. in 6. Barbof. in c. 24. de Præb. n. 3.* Investitura habet eisdem ferè effectus, ac aditio possessionis aliarum rerum, & iurium, datque conditionem præscribendi, sic qui bona fide, & titulo institutus est post possessionem, triennalem præscribit, & acquirit in utroque foro proprietatem, & verum titulum beneficii. *Ex Reg. 36. Cancell. Sancb. in Decal. lib. 7. c. 29. ex n. 86. contra alios.* Licet de iure scripto ad Archidiaconum spectet investitura, seu missio in possessionem beneficiorum. *c. 7. de Offic. Archidiacon.* Consuetudine tamen ad Episcopum hoc pertinet, qui quidem solet talem possessionem actualem tribuere per Vicarios, Decanos rurales, & alios Commilitarios, nisi beneficium sit litigiosum, & jam præsidetur ab alio: tunc enim ad Episcopum, etiam de iure scripto, investitura spectat, qui debet prius citare, & audire possessorem. *c. 28. de Præb. in 6.* Decanus solet dare investituram Canonicis. *c. 7. de Consec. præbend.*

70 Laici proprio nomine nequeunt in possessionem quoad spiritualia mittere institutos. *Arg. c. 9. de Offic. Archidiacon.* Talis enim investitura omninò irrita est, & nullam possessionem in recipientem transfert. *c. 12. 16. q. 7.* quia eis nulla conceditur facultas de Dignitatibus Ecclesiasticis disponendi. *c. 23. 16. q. 7.* Imò, etiam recipiens deponitur, & segregatur, omnesque illi, qui ipsi communicant. *c. 14. 16. q. 7. c. 16. c. 17. c. 40. & 23. 16. q. 7.* Eandem incurrit poenam laicales investituram Ecclesiarum, vel Dignitatis dare præsumentes. *c. 12. 16. q. 7.* Quia Laici in rebus Ecclesiasticis obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. *c. 23. 16. q. 7.* Possunt tamen ex commissione Episcopi exercere merum factum introducendi institutum in locum beneficii, tradendo ei claves, iura, & alia: imò potest Laicis competere nomine proprio investitura, quoad temporalia, ubi specialis investitura, quoad hæc fit. Sic Patroni, vel Advocati Ecclesiarum, vel Domini territorij solent novum Parochum in domum Parochia-

lem inducere, claves, & libros rationum tradere, ac redditus assignare.

71 Nunc agere restat de libera collatione beneficiorum, cui plura ex hucusque dictis communia sunt: *Collatio ergo libera est assignatio, seu concessio beneficii, vacantis libere facta ab habente potestatem.* Nam licet necessarium sit collatori, beneficium conferre, tamen liberum est huic, vel illi conferre, quin teneatur, sicut in institutione illud præsentato assignare. Et hæc ratione dicitur libera, & voluntaria, & in iure donatio dicitur. *c. 5. de Consec. præbend. c. 4. de Donation.* Collatio antequam acceptetur, tribuit collatori jus ad rem in beneficio, ita ut collator alteri nequeat illud conferre, donec collatoris iure sibi per collationem quæsito, se abdicaverit, non acceptando collationem. *c. 17. de Præbend. in 6.* Quia collator functus est officio suo, nec alteri potest conferre, etiam sub conditione, si a priori collatorio non acceptetur. *Gloss. ibid. V. Personam. Barb. & alij.* Collatio beneficii a collatorio acceptata, sive per se, si præfens est, sive per ejus Procuratorem, etiam Laicum, habentem mandatum speciale ad acceptandum tale beneficium, vel saltem in genere, & indeterminatè ad beneficia acceptanda. *c. 24. de Præbend. ipsi collatorio tribuit jus in re, & aliquo modo ipsi tribuere dicitur quasi dominium beneficii collati. c. 17. de Præbend. in 6. c. fin. de Consec. præbend. in 6.* Etiam ante possessionis apprehensionem, quia in rebus spiritualibus, ut sunt beneficia facilius jus in re acquiritur, quam in rebus corporalibus, in quibus requiritur traditio. *L. 20. C. de Pass.* ac proinde statim a collatione facta potest beneficium vindicari, si ab alio violente detineatur, & pro ejus iuribus agere. Sic jus in re acquiritur præsentato per institutionem, electo per confirmationem, postulato per admissionem postulationis. Si verò Procurator beneficiati acceptavit beneficium, cum solum mandatum generale haberet, vel illud acceptavit aliquis amicus, vel negotiorum gestor ipsius beneficiati, non aliter beneficiatus acquirit jus in re in beneficio, quam si postea habeat ratam talenti acceptionem suo nomine factam. *Arg. C. fin. de Jur. jur. in 6.* Si tamen ratam habeat acceptionem jus in re acquirit in beneficio. *c. 17. de Præbend. in 6.*

72 Beneficia sunt conferenda. 1. gratis, nullo pretio interveniente. *c. 3. l. q. 3. ibi: Dignum est enim, ut sicut gratis Episcopatum accepit, ita membra ejusdem Episcopatus*

Episcopatus, gratis distribuat. 2. libere, quia cum collatio sit veluti quædam liberalis donatio vim, & metum excludit. *c. 2. c. 3. de His, quæ vi metus sùt.* Hinc concessio beneficii per obreptionem, vel subreptionem facta, cum ei desit consensus, est nulla. *c. 23. b. t. in 6. c. 8. c. 19. de Rescript. 3. absolutè,* & non conditionatè, neque sub modo, aut pacto debent conferri. *Arg. c. 2. de Elect. in 6. Gloss. ibid. V. Incerta:* quia ob incertitudinem, quam habet conditio extrinseca est irrita collatio, si verò conditio, vel modus, vel pactum in institutione, bene potest adijci. 4. *Non alternativè, seu disjunctivè:* v. g. Confero beneficium Titio, vel Cajo; quia conferentis voluntas incerta est. *Arg. c. 2. de Elect. in 6. 5.* Non debet idem beneficium duobus conferri. *c. 20. de Præb. l. 2. tit. 16. p. 1.* Sive, ut simul possideant; ne beneficium dividatur: sive successivè, quia esset gratia expectativa ad proximam vacaturam: quæ gratiæ jam sublatae sunt. *c. 2. de Consec. præb. 6.* Beneficium conferendum est in perpetuum, ut sit in beneficijs propriè talibus, quæ conferuntur ad vitam collatarij, vel saltem non ad tempus determinatum, ut beneficia manualia; quæ licet ad mutuum sint auferibilia, non conferuntur pro determinato tempore. 7. In scriptura sit regularitè collatio, quæ non ad valorem, sed ad probationem collationis requiritur, si collatio beneficiorum facta à Papa, vel ejus Legato non impetretur in scriptis, est irrita. *Extr. Injuncta de Election. inter com.* Licet collatio ab Episcopo facta sine scriptura valeat, expedit tamen, ut in scriptis fiat ad faciliorem probationem: Et sic servatur in praxi. Nam beneficiatus non aliter ad possessionem beneficii admittitur nisi præsentet litteras collationis, quas patientes vocant. 8. Debet esse vacans beneficium, ut in *tit. 8.* Et sine diminutione conferri, ut in *tit. 12.* Si Papa conferat, potest conferre beneficia non vacantia, & non tantum singula singulis, sed etiam unum duobus, vel copulativè, vel alternativè, prout voluerit, & ad tempus, & sub conditione de futuro, & suspensiva, & pro suo arbitratu potest uni adimere, & alteri dare, quia plenissimam potestatem habet in beneficijs, quoad ea, quæ Juris Positivi sunt. *c. 2. de Præbend. in 6.* De quibus agitur in *L. 5. l. 6. l. 7. tit. 16. p. 1.*

73 9. Licet Episcopus possit beneficium antequam alicui illud conferatur, aliud imponere onus spirituale: v. g. do-

Tom. I.

cendi scripturam. *c. 11. b. t. Gloss. ibid.* in collatione verò ipsa non potest novum onus imponi ab Episcopo. *Gl. in c. 4. V. Item, de Magistr.* quia sine omni pacto sunt beneficia conferenda. *c. fin. de Pass. 10.* Beneficia Parochialia conferri debent per concursum, & quidem digniori. *Trid. sess. 24. de Ref. c. 18.* Si per consuetudinem hic modus conferendi per concursum non servetur, valebit collatio, etiam sine concursu. Valde tamen expediens erit, ut concursu fiant tales provisiones, ut accidit in Tolitana Diocesi, & in alijs Hispaniæ Diocesium magno cum profectu animarum, & sic statum est à Benedic. XIV. Etiam ubi consuetudo concursus viget, non est necessarium, quod fiat in casibus sequentibus. 1. In beneficio Parochiali ad patronatum Laicum pertinente. 2. Si beneficium perpetuo sit unitum alicui Dignitati, Canonici, vel Monasterio. 3. Si Cura pertineat ad Ecclesiam Cathedrali, vel Collegiatam, & admittretur alternatim per plures, ac per hebdomadas. 4. Si cum alio Parochiali, vel simplici permittetur, vel si resignetur in tertij favorem: nam si resignatarius sit aptus, ei est conferendum. 5. Si nullus ad concursum se offerat, vel ex concursu lites, & desidia gravia timeantur.

74 Etiam in Ecclesijs Cathedralibus sunt certæ præbendæ, quæ per concursum conferuntur, & dicuntur *Hispaniæ de Oppositionem, & de officio*, quales sunt Pœnitentiaria, Lectoralis, Magistralis, & Doctoralis. Talis enim præbenda illi conferuntur, in quem major pars Capituli consentit, in ejus electione Episcopus solum habet unum suffragium, sicut ceteri Canonici. Pœnitentiaria est instituta à *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* ut Pœnitentiarius confessiones fidelium excipiat. Et hæc præbenda indifferenter confertur Doctori, seu Licentiato in Theologia, vel Jure Canonico: & Pœnitentiarius debet habere quadraginta annos ætatis. Canonici, seu præbenda Lectoralis est instituta, ut eam obtinens doceat Sacram Scripturam in Cathedralibus, & Collegiatis, ubi Populus est numerosus, & juxta aliquos sufficit, Theologiam Scholasticam docere. Et hæc confertur Doctori, vel Licentiato in Theologia, & hodie, etiam per concursum, & oppositionem hæc præbenda confertur, saltem in Nostra Hispania, licet videatur solum Episcopo ejus provisionem relinquere à *Trid. sess. 5. de Ref. cap. 1.* Canonici Magistralis instituta est à Leone X. & Sixto V. in Cathedralibus Castellæ, Le-

Hhh 2

gio-

gionis. Granatæ, & Navarra, ut eam obtinens sit Ecclesia concionator, & confertur Doctōri, vel Licentiato in Theologia. Canonica Doctōralis ab ipsis SS. Pontificibus fuit instituta, ut eam obtinens sit Ecclesia Advocatus, & eam in suis negotiis, & litibus defendat, & confertur Doctōri, vel Licentiato in Jure Canonico. *L. 6. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Et quidem oppositores ad prædictas præbendas debent esse Doctōres, vel Licentiati in aliqua Universitate Castellæ: Etiam admittuntur Collegæ Bononienses Collegij Hispanorum, qui in ea Academia gradum susceperunt non tamen admittuntur Doctōres, qui gradum susceperunt in Regnis Lusitaniæ, Aragoniæ, vel in Catalunia. *Maebad. in Sum. tom. 2. lib. 4. p. 4.* Hodie tamen ex Corona Aragoniæ admittuntur. In Indiarum Ecclesijs debent conferri hæ præbendæ, sicut in Ecclesia Cathedrali Granatensi: facta enim oppositio- ne tres ex oppositoribus proponuntur à Capitulo, in quo Archiepiscopus habet unum suffragium, & ad Præregem, vel Gubernatorem remittuntur. Pro-Rex, vel Gubernator nominationem remittit ad Regem, & simul de idoneitate ipsorum informat, & postea Rex præsentat vi Regij Patronatus unum ex tribus propositis, vel etiam alium juxta suum arbitrium, & taliter præsentato confertur præbenda. *L. 7. tit. 6. lib. 1. R. Ind.*

75 Papa, qui totius Orbis est Pastor, est etiam supremus, & Universalis collator omnium beneficiorum. *c. 2. de Præbend. in 6. L. 1. tit. 16. p. 1.* Potestque ea conferre. 1. *Præveniendo*, scilicet, mandando alicui conferri beneficium proximè vacaturum. *c. 14. de Præbend. in 6.* Quod si sit patronatus, de eo faciet mentionem: alias litteræ censentur subreptitiæ. 2. *Concurrente* cum quocumque Ordinario ad beneficij vacantis collationem, & est locus præventionis. *Garc. de Benef. p. 5. c. 1. n. 8.* Si dubitetur, quis prævenit, præfertur ille, qui est in possessione beneficij, quia in pari causa melior est possidentis conditio. *c. 65. de Reg. jur. in 6.* Si neuter possideat, præfertur ille, cui Papa contulit, ob illius majorem prærogativam. *c. 31. h. t. in 6.* Si in Rescripto Apostolico sit dies appositus, sed non hora, & in provisione ab Ordinario facta, dies, & hora sint appositæ, collatio Ordinarij, ut magis determinata, & singularis præfertur. 3. *Jure devolutionis*, quando, scilicet, ad ipsum devolvitur collatio, quia Ordinarius collator, vel non contulit intra tempus legitimum, vel

indigno contulit: Post Papam Patriarchæ, Primares, Archiepiscopi, & Episcopi habent in Jure Communi fundatam suam intentionem, ad conferendum. Sunt etenim collatores Ordinarij omnium beneficiorum suæ Diocesis, nisi specialiter excepta sint, vel superiori reservata, vel ex privilegio, vel præscriptione alijs competat ibidem aliquorum beneficiorum in particulari collatio. *c. 10. c. 11. 16. q. 7. c. 1. de Capellis Monachor. c. 12. de Hæretic. Et quidem Episcopus jus conferendi competit, dum confirmati sunt, quamvis nondum sint consecrati, quia collatio non est actus ordinis, sed jurisdictionis, vel potius Officij Episcopalis. *c. 15. de Election. Postulante* conferre beneficia in Diocesi vacante, etiam si extra eam sint, quia est jurisdictionis voluntariæ. Collatio Canonica tum aliquando pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul. *c. 15. de Consec. Præb. Et tunc unam vocem habet Episcopus, aliam totum Capitulum, ita ut si uni conferat Episcopus, etiam cum minore parte Capituli, alij verò major pars Capituli neutra collatio valet. *Garc. de Benef. p. 5. c. 4. n. 28. & 29. Barb. lib. 3. Jur. Eccles. c. 13. n. 103.* Aliquando ad solum Capitulum spectat præbendam collatio: & tunc solum Capitulum confert. Aliquando conferre debet cum consilio Episcopi. *c. un. §. Ubi vero. Ne Sede vacante in 6.* Aliquando Episcopo non requiritur. *c. 31. de Elect. Aliquando* Capitulariter, & aliquando per turnum Capitulares conferunt. De Jure Communi Collatio Canonica tum, Dignitatum, Præbendarum, & Portionum, quando sunt de Gremio Capituli Ecclesiæ Cathedralis, pertinet ad Episcopum, & Capitulum simul, ita ut Episcopus æqualem vocem cum Capitulo habeat. *Garc. de Benef. p. 5. c. 4. n. 17.* Portiones integras, & dimidiæ, si non sunt de gremio Capituli à solo Episcopo conferuntur, & idem est de Capellanijs. *Garc. de Ben. cap. 4. n. 25.* In Collegiatis præsentatio pertinet ad Capitulum, & Prælatum: institutio, vel confirmatio pertinet ad Episcopum. *Garc. num. 64. Gonz. in Reg. 8. Canc. gloss. 45. n. 45.* Sed in his omnibus attendenda sunt cujusque Ecclesiæ privilegia, & eorum optima interpretatio consuetudo. *c. 8. de Consuet. L. 1. tit. 16. p. 1. ibi: Tovo por bien Santa Iglesia, que en cada Iglesia fuisse guardada la costumbre, que usaron de luengo tiempo para dar los Beneficios.* De potestate Vicarij in collatione beneficiorum alibi dictum est. De potestate Capituli Sede vacante dicendum est**

est infra. Legatus à Latere concurrens ad præventionem, cum quolibet Ordinario ad beneficiorum collationem. *c. 31. de Præbend. in 6. c. fin. de Offic. Legat. in 6.*

76 Prælati exempti habentes, quasi Episcopalem jurisdictionem, quoad territorium, Clericum, & Populum, & etiam jurisdictionem ordinariam careant, solent habere conferendi potestatem, vel ex privilegio, vel ex præscriptione quadragesimaria cum titulo; quod si sit contra Episcopum, in cujus Diocesi sita sunt beneficia, debet esse præscriptio immemorialis. *c. 1. de Præscript. in 6.* Cardinales, etiam Diaconi, ex privilegio conferunt omnia beneficia Ecclesiarum, quas vel jure tituli, vel commendationis habent, non obstantibus expectativis, aut reservationibus, nisi vacant in Curia. *Azor p. 2. lib. 6. cap. 25. q. 5.* Canonici etiam aliquando habent jus conferendi: vel omnes capitulariter, ita ut conferatur illi, in quem major pars convenerit, vel per turnum, quatenus unus post alium, secundum antiquitatem conferant, vel singulariter, si jus conferendi alicui officio, vel Dignitati sit annexum. Circa præbendas, quæ per concursum conferuntur, jam diximus, quod præbenda confertur illi, in quem major pars Capituli consentit. Sequenter Prælatum, cui hoc jus competit, potest etiam conferre. *Gonz. in Reg. 8. Canc. gloss. 23. n. 17. Garc. de Benef. p. 5. cap. 6. ex n. 1.* Ille, qui est in possessione conferendi beneficia, & simul habet bonam fidem, valide, & licite ea confert, nec est remouendus proventus postquam collationem acceptavit, etiam si vitium possessionis de- regatur, & ad alium proprietatem pertinere confert. *Gonz. de Reg. 8. Canc. gloss. 45. §. 1. à n. 4. Garc. de Benef. p. 5. cap. 5. ex n. 1.* quia hæc collatio est quasi fructus juris conferendi, ac proinde ad bonæ fidei possessorem spectat. *L. 48. de Acquir. rer. dom.* Valetque collatio, etiam si facta sit, post litis contestationem. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 6. n. 22.* Denique etiam Laici ex privilegio Pontificio, potest competere jus conferendi beneficia; & quidem solus Papa in hoc dispensare potest, quippe Jure Communi ipsis hoc prohibetur; ac proinde nec ad tempus possunt conferre beneficia, cum ipsi non possint jus spirituale, quale est hoc, possidere. *c. 2. de Judic. c. 51. de Election.* Et hæc ratione non possunt jus conferendi præscribere, quia sine possessione præscrip-

tio non datur. *c. 3. de Reg. jur. in 6. l. 25. ff. de Usucap.* Nec alij Prælati possunt hoc jus concedere, cum ipsi nequeant contra Jus Commune aliquid agere; *arg. à 16. de Majorit. obed.* sed hoc Papa, qui supra Jus Commune est reservatur. *c. 4. de Consec. Præbend.*

77 Episcopus, vel Collator quicumque sit, potest Clerico tempus præfigere, intra quod collationem acceptet. *c. 17. de Præbend. in 6.* Et licet collator termino transacto non teneatur amplius expectare ad conferendum alteri beneficium, si tamen non contulit, potest Clericus, etiam post terminum elapsum, cum non sit à jure, sed solum ab homine statutus, consentire utiliter collationi ipsi factæ; *arg. c. 33. de Reg. jur. in 6. gloss. 17. de Præb. in 6. V. Terminum.* Beneficium, cum sit institutum pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, ab Ecclesia, vel ejus Prælato per institutionem, vel collationem Canonicam debet concedi, non à defuncto jure sanguinis per legitimam successione, nec per speciem successione hæreditariæ, quam jus nostrum abhorret. *c. 10. c. 11. de Filijs Presbyter. c. 1. de Præbend.* Nec ab Episcopo potest Coadjutor assignari cum potestate succedendi. *c. 17. 7. q. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 7.* nec vivente Beneficiato potest institui tractatus de ejus succedere, etiam si paulo post moriturus sit. *c. 36. de Elect.* Et pactum, de succedendo alteri post mortem in Beneficio Ecclesiastico illicitum est. *c. 2. de Consec. Præb.* irritum etiam est pactum, quo aliquis instituitur ea conditione, ut post ejus mortem alius certus, v. gr. consanguineus succedat. *c. 5. de Pact.* nec filius potest immediate patri in beneficio succedere, quamvis legitimus sit. *c. 10. cap. 11. de Filijs Presbyter.*

78 Ut ergo alicui possit beneficium conferri, 1. debet esse initiatus saltem prima tonsura, quia beneficium datur propter officium spirituale, cujus Laicus est incapax, ac proinde Laico nequit beneficium Ecclesiasticum conferri. *c. 6. de Transact. c. 2. h. t. 2.* debet esse natus ex legitimo matrimonio, quia illegitimi non possunt sine dispensatione obtinere beneficia. 3. requiritur conveniens ætas, nam pueri non sunt idonei ad beneficia Ecclesiastica. *c. 35. de Præbend. 4.* Litterarum competens scientia, vitæ honestas, & alia requiruntur, de quibus dictum est *in tit. 14. lib. 1.* Novitio non possunt conferri beneficia regularia, quæ administrationem ha-

habent, ut Prælatuæ c. 28. de Election. in 6. quia non debet in Magistrum assumi, qui vix formam Discipuli assumpsit. c. 49. de Election. nec de jure antiquo alia beneficia regularia inferiora poterant novitijs conferri, secus ex Trid. sess. 14. de Ref. cap. 10. ubi non solum possunt conferri nondum professis, sed etiam illis, qui nondum susceperunt habitum, si se obligent ad eum suscipiendum, & professionem emittendam. Bene quidem possunt novitijs conferri beneficia secularia, quamvis hoc non deceat. Garc. de Benef. p. 7. c. 10. n. 5. & 6. Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 4. n. 22. Ita debet collator beneficia conferre, ut semper dignis conferat: quod si post secundam correptionem indignis conferat, Concilium Provinciale suspendit collatorem à collatione beneficiorum: & alius assignatur, qui beneficia conferat. Et hæc suspensio solum à Papa, vel Patriarcha relaxatur. c. 29. de Præbend. l. 14. tit. 16. Pr. 1.

79 Romanus Pontifex aliquando iustis ex causis reservat aliqua beneficia, sibi illorum collationem ita vendicando, ut liget manus collatoris inferioris, quominus ipse valide ea conferre possit. c. 45. de Elect. in 6. c. 2. b. t. in 6. Extr. 14. eod. inter com. Reservatio alia generalis est: illa scilicet, qua omnia beneficia alicujus Dioecesis, vel Regni reservantur; specialis alia, ea scilicet, qua reservantur beneficia certæ Ecclesiæ, vel certæ Dignitatis, vel certæ personæ: v. gr. si Papa jubeat beneficium alicujus Ecclesiæ, vel certæ Dignitatis, vel certæ personæ. Utraque, vel est temporalis, cum scilicet, Papa reservat beneficium ad suum beneplacitum, vel est perpetua, quando scilicet, beneficium reservat Sedi Apostolicæ, & suis successoribus. Alia est fixa, seu continua, quando scilicet, Papa, sibi reservat collationem pro omni loco, & tempore. Alia est discontinua, seu eventualis, quando sibi reservat beneficia in mensibus certis, vel loco, v. gr. vacantia in Curia Romana. Reservatio licet valde affinis sit affectioni, tamen ab ea differt in eo, quod reservatio fit per verba expressa, quibus Papa declarat, beneficium suæ dispositioni reservare. Affectio est, cum Papa manum beneficio apponit ad effectum illud conferendi, hoc est, si Papa aliquando cœpit beneficium conferre: ex tunc censetur affectum, & per ipsum factum manet Pontifici reservatum. Si vero ad alium effectum manum apponit: v. g. ad pensionem imponendam, non

manet affectum, nec quando est Juris Patronatus Laicalis, aut mixti: vel si manus appositio semel effectum sortita est per provisionem: nam si rursus vacaverit ab ordinario collatore, conferri potest. Gonz. ad Reg. 8. Cancel. gloss. 52. n. 4. si verò reservatum sit, nunquam à collatore inferiori potest conferri. Et si reservatio sit adjectum Decretum irritans, collatio ab inferiori, etiam ex ignorantia, sive juris, sive facti facta est nulla. c. 20. de Præbend. in 6. Et nequidem titulum coloratum provisione præbet, nec spoliatus de spolio agere potest, cum beneficij possessione careat, utpote à Decreto irritante vitata. Secus est, si Decretum irritans non adiungatur. Ordinarius potest beneficij reservati resignationem acceptare, non verò potest conferre illud, sed pro ejus collatione recurrendum est ad Papam. Qui reservationem ignorans beneficium reservatum accepit, prius possessione dimisso, si ex quo reservationem scivit, illud sine difficultate dimittit, cum non sit in culpa primum beneficium recuperat: secus, si sciens admisit, vel postquam scivit, se exhibuit difficilem in beneficio reservato dimittendo. c. 20. de Præbend. in 6. Variæ sunt causæ reservationis. 1. ut denotetur, ampliorem potestatem apud Pontificem, quam apud alios Collatores, residere. c. 14. b. t. in 6. 2. ut major communicatio Ecclesiasticarum, & Ecclesiasticarum personarum sit cum Romana Ecclesia omnium Matre, & Magistra, dum ab ea in hoc dependet. c. 21. 9. q. 3. 3. ut Romana Ecclesia possit se liberalem ostendere erga benemeritos, ipsis Ecclesiastica beneficia conferendo.

80 In corpore Juris Communis unica tantum invenitur reservatio, videlicet in c. 3. c. 34. b. t. in 6. ubi reservantur beneficia vacantia in Curia Romana, vel apud sedem Apostolicam, quod idem probabiliter est, quæ reservatio durat unius mensis tempore à die vacationis: quod si intra illum Pontifex non conferat, eo elapso, collatio pertinet ad ordinarios collatores. c. 3. b. t. in 6. Beneficium apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacare censetur, quando vacat ubi existit Pontifex, cum sua Cancellaria, aliisque Tribunalibus, vel ubi existit Cancellaria cum alijs Tribunalibus, licet Papa recreationis, vel peregrinationis causa ad tempus abijt. Vel si in loco vicino Curie, hoc est, non distante ultra duas diastas legales, Beneficiarius moriatur, si ibi non habeat domicilium.

lium. c. 34. b. t. in 6. Hæc reservatio non comprehendit. 1. beneficia, quæ sunt juris Patronatus Laicalis, quia Pontifex non censetur juri Laicorum ex fundatione, vel dotatione Ecclesiarum acquisito derogare, nisi id exprimat specialiter, imò et si in rescripto referentur beneficia, quæ sunt juris patronatus Laicorum, non comprehenditur jus patronatus Regum, vel Principum, nisi exprimat. Beneficia verò, in quibus Laicis competit jus patronatus non ex fundatione, adificatione, vel dotatione Ecclesiæ, sed ex privilegio Pontificio, vel præscriptione in privilegio fundata, comprehenduntur in reservatione. 2. Non comprehendit beneficia Regularia. 3. Nec beneficia Ecclesiæ non numerata, seu receptiva, hoc est in qua est certus numerus beneficiorum, seu præbendarum, quia beneficiario mortuo ipsa extinguuntur, & si de novo conferantur, quasi reviviscunt. 4. Beneficia resignata ex causa permutationis. 5. Beneficia Parochialia, quæ vacant tempore, quo Sedes Apostolica vacat, ne eorum diutina vacatio periculum animabus afferat. c. 35. b. t. in 6. 6. Beneficia, quæ ex consuetudine sunt conferenda Magistris Theologiæ, aut Doctoribus Juris Canonici. 7. Beneficia manualia, seu revocabilia ad nutum, cum non sint strictè beneficia. Denique beneficia, quæ in Urbe vacant, & pertinent ad eos, qui in Urbe degunt, sed non sequuntur Curiam: hæc enim Pontifex jure ordinario, non jure reservationis confert.

81 In Extr. 1. b. t. inter com. reservantur Sedi Apostolicæ beneficia apud eandem Sedem Apostolicam vacantia: quæ reservatio non videtur differre ab immediate dicta. In Extrav. 4. b. t. reservantur beneficia, quæ vacant, vel debent dimitti propter adeptionem Dignitatis, personæ-

tus, officij, beneficij curati simili, & ita incompatibilis cum primo, ut secundo obtento primum vacet, etsi hoc non admittatur statim, sit auferendum etiam secundo dum. Quæ beneficia vacantia, vel dimittit ob secundi adeptionem sibi reservat Pontifex, ita ut si quis alius de eis disponere præsumat, irrita sit dispositio. In Extrav. 11. b. t. dicitur, quod si Dignitatem, vel aliud beneficium curatum obtinenti, aliud beneficium conferatur, & ambo vacent successively, possint exigi, ac percipi à Camera Apostolica fructus eorum primo anno, quo vacant. In Extr. 13. b. t. Reservantur Sedi Apostolicæ Ecclesiæ Episcopales, Archiepiscopales, & Patriarchales item Monasteria, Prioratus, Dignitates, officia, & beneficia quæcumque, etiam per electionem, aut quemcumque alium modum conferantur, si apud Sedem Apostolicam vacaverint: vacantia per depositionem, privationem, translationem, aut cassationem electionis, vel postulationis autoritate Pontifici factam, vel per renuntiationem à Papa admittam: Item vacantia per obitum Cardinalium, Legatorum, & aliorum Officialium Sedis Apostolicæ. Vacantia per promotionem ad majores Dignitates, Patriarchalem, Archiepiscopalem, Abbatialem, autoritate Pontifici factam, postquam sic promoti pacificam obtineant possessionem. Præterea de omnibus beneficijs reservatis, & reservandis decernit. Extrav. ult. b. t. ita esse affecta, ut si alius, quam Pontifex disponat irrita sit dispositio.

82 Aliæ reservationes fiunt in Regulis Cancellariæ, & quia prædictæ regulæ partem Juris Canonici constituunt, hæc occasione operæ pretium duxi eas hic ad litteram inserere in studentium gratiam, quamvis ad varias materias pertinentes, nec credo hoc à curiosis reprehensibile reputandum.

REGULÆ, ORDINATIONES, ET CONSTITUTIONES

Cancellariæ Apostolicæ. S. D. N. D. Innocentij

Divina Providentia Papæ X.

Sancitissimus in Christo Pater, & D.N. D. Innocentius Divina Providentia Papæ X. Suorum Prædecessorum vestigijs inhærendo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens in crastinum, suæ assumptionis ad summum Apostolatus apicem, videlicet, die decimaquinta mensis Septembris, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto; reservationes, constitutiones, & regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Franciscus Tit. S. Laurentij in Damaso, Diaconus Cardinalis Barberinus S. R. E. Vice-Cancellarius die 6. mensis Octobris dicti anni in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Reservationes generales, & speciales.

1 **I**N primis fecit easdem reservationes, quæ in constitutione fel. record. Benedicti Papæ XII. quæ incipit: *Ad regimen*: continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiam si Officiales in eadem constitutione expressi Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierit, quoad beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum huiusmodi ejusdem Sedis Notarij erant, etiam dimissis ipsis officijs, & quodcumque affectu fuerint sub huiusmodi reservationibus comprehendere. Ac reservavit beneficia, quæ per constitutionem præ mem. Joannis Papæ XXI. quæ incipit: *Execrabiles*: vacant, vel vacare contigerint. Quam constitutionem, & reservationem SS. tam ad beneficia obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarij, & alij Collatores contra Concilij Tridentini Decreta disposuerunt, & disponent in futurum extendit, & ampliavit. Et ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit: de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra ejusdem Concilij Decretorum formam dispositum fuerit.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatum vacantium Beneficiorum.

2 Item reservavit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, necnon omnia Monasteria virorum, valorem annuum ducatorum florenorum auri communi estimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & in posterum vacatura, & voluit, quod excessus huiusmodi litteris exprimat. Ac etiam reservavit Dignitates, & beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon Abbatum, ac aliorum quorumcumque Collatorum, & Collatricum, Secularium, & Regularium, quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel alijs, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliorum Dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu tran-

sactionem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ac easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitate Apostolica autoritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint, & vacabunt in futurum.

Extensio reservationis Beneficiorum per affectionem pacificam vacaturorum.

3 Item, qui de Beneficijs Ecclesiasticis, præsertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apostolica autoritate provisi, seu providendi ante illorum affectionem alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suæ resignarent, dimitterent. Voluit, decrevit, & declaravit, quod si in posterum, quibusvis personis de aliquibus Beneficijs Ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per sanctitatem suam, aut ejus autoritate provideri, ipsosque provisos, seu providendos intra vacationis, & provisionis, seu affectionis eorum beneficiorum tempora quæcumque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica secularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia per eos, tunc obtenta, nulla speciali, & expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in sanctitatis suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum d. Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum, quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut Juribus, sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, & singulas concessiones, collationes, provisiones, & quævis alia dispositiones de beneficijs, seu juribus, sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ, cum inde sequitis quibuscumque casæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuquam suffragentur, sed beneficia, & jura, ut præfertur, resignata, dimissa, & cessia, eo ipso vacant, ac sub reservatione prædicta, quam sanctitas sua, etiam quoad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censentur. Ita quod de illis per alium, quam eandem sanctitatem suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit in omnibus, & per omnia per-

perinde, ac si per pacificam affectionem beneficiorum aliorum huiusmodi verè, & realiter vacavissent, ac ulterius voluit beneficium, de quo resignans fuerit autoritate Apostolica provisus, ac per ejus affectionem beneficia vacare debebant, ut prius vacare, proinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset. Decernens irritum, &c. attentari.

Reservatio Dignitatum, necnon suorum, & S. R. E. Cardinalium Familiarium Beneficiorum.

4 Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi estimatione excedentes, principales in Collegiatis Ecclesijs. Reservavit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositus, ac alias Dignitates Conventuales, & Præceptorias generales Ordinum quorumcumque (sed non Militarium.) Ac quæcumque beneficia, quæ sui etiam dum Cardinalatus fugebatur honore: existentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium familiares continui, Comensales obtinent, & in posterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit; aut competierit, etiam si ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel alias recesserint. Declarans, Dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria autoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quovis modo in Collegiatis Ecclesijs principalem præminentiam habere noscuntur, sub reservatione prædicta comprehendendi debere.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

5 Item reservavit generaliter omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, quorumcumque Collectorum, & unicum in quacumque Civitate, vel Diocesi, qui suo tempore officia exercuerit, Subcollectorum fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet beneficia dumtaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competeat.

Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

6 Item reservavit omnia, & singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo, decedere contigerit in quovis loco, quantumcumque etiam à dicta Curia remoto.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Curforum.

7 Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, etiam Honoris nuncupatorum, ac Curforum suorum. Declarans in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatorijs Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios Honoris nuncupatos, etiam à die earum Editionis, & publicationis, intelligi, & comprehendendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque, &c. attentari decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranensis, & S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe, & beneficiorum Titulorum Cardinalium à Curia absentium.

8 Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscumque Canonatus, & Præbendas, ac Dignitates, Personatus, & Officia in S. Joannis Laterani & Principis Apostolorum, ac B. Mariæ Majoris de Urbe Ecclesijs: necnon ad collationem provisionem, & præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Romana Curia absentium ratione suorum Episcopatum Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium Titulorum, & Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia sua duraverit Canonatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, administrationes, & officia, cateraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura vacantia, & in antea vacatura, tam in eadem Urbe, quam in Ecclesijs, Civitatibus, & Diocesis diocetum Episcopatum consistentia, ac decrevit irritum, &c.

Reservatio mensium Apostolicorum, & alternativa pro Episcopis residentibus.

9 Item cupiens S. D. N. Papa pauperibus Clericis, & alijs benemeritis personis

nis providere omnia beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia in singulis Januarij, Februarij, Aprilis, Maij, Julij, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, alias quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, & collatricum Sæcularium, & quorumvis ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub concordatis, inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios inritis, & pereos, qui illa acceptare, & observare debebant, acceptatis, & observatis, quæ lædere non intendit comprehensurum) quomodolibet pertinentia dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficijs tunc vacantibus, etiam motu proprio fieri de mente, in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri. Alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores Præbendas, necnon privilegia, etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficijs, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus numquam comprehendatur, etiam cum quibusvis derogatoriis derogatorijs, & fortioribus efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs Decretis, quorum tenores pro expressis haberi, & latissime extendi voluit quibusvis personis, & Collegijs cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, quomodolibet concessa adversus reservationem hujusmodi minimè suffragari. Insuper sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis, quamdiu apud Ecclesias, aut Diocæses suas verè, ac personaliter referentur dumtaxat, de omnibus, & quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura Sæcularibus, & Regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, intervenitu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quæ in antea in mensibus Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipsam

vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione Beneficiorum in alijs sex mensibus, videlicet, Januarij, Martij, Maij, Julij, Septembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præterat, reservavit) sex etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum se intromiserint, aut quominus provisiones, & gratiæ sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstitierint, usu, & beneficio prædictæ facultatis eo ipso privati existant, ac collatores, & aliæ dispositiones de beneficijs illius prætextu deinceps faciendæ, nullas sint roboris, vel momenti. Illi verò, qui gratiam alternativè prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per parentes litteras manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, & in sua quisque Civitate, vel Diocæsi data declarare, & litteras ipsas huic ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, tunc demum, & non antea uti incipiant gratia supradicta. Declarans, exceptionem positam in Regula favore S. R. E. Cardinalium, & indultum conferendi beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, & consortij juxta declarationem felic. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris sui editam die. 10. Septembris, anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam sanctitas sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens, sic in præmissis omnibus per quoscumque &c. Judicari debere ac irritum, &c.

De Litteris in forma, rationi congruit expediendis.

10 Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per fel. record. Gregorium XV. & Urbanum VIII. Prædecessores suos, & de eorum mandato expediantur in forma rationi congruit, à die Assumptionis suæ ad summum Apostolatus apicem, & idem quoad concessa per piæ mem. Paul. V. Etiam Prædecessorem suum, ad sex menses dumtaxat ab ipso die Assumptionis incipiendos observari voluit.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, & beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

11 Item declaravit omnium, & singularium Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi, & dispositioni eorum, necnon omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores, etiam prædictæ dispositioni, cum interpositione Decreti reservaverant (quæ quidem Ecclesiæ, Monasteria, necnon sic reservata beneficia tempore obitus eorumdem Prædecessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem, & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive post quoquomodo. Decernens irritum, & inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel in posterum contingeret attentari.

Revocatio litterarum Prædecessoris, gratiæ, & justitiæ infra annum concessarum.

12 Item prædictus D. N. omnes, & Singulas ab ipsis Gregorio XV. & Urbano VIII. Rom. Pont. Prædecessoribus suis infra annum ante diem obitus eorum concessas gratiæ, vel justitiæ litteras, temporibus debitis, eorum executoribus, seu iudicibus non præsentatas, omnino revocavit, & in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè restituit, ac decrevit per executores, seu Judices prædictos, vel ab eis subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, & debere juxta illarum formam.

Revocatio unionum.

13 Item rationabilibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, applicationes, & dissimbrationes, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, necnon alijs Ecclesijs, Monasterijs, Dignitatibus, Personatibus, officijs, & beneficijs Ecclesiasticis, eorumvè domibus, prædijs, & locis perceptum, vel defectum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem, quacumque fuerint in

vicem, vel alijs Ecclesijs, Monasterijs, & Mensis, etiam Capitalaribus, Dignitatibus, personatibus, officijs, beneficijs, ac pijs, vel alijs locis Universalitatibus, etiam studiorum Generalium, & Collegijs, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesijs, Monasterijs, & Beneficijs per eos obtentis, quomodolibet, Apostolica, vel alia quavis (non tamen Concilij Tridentini autoritate, necnon fundacione, seu dotatione, augmento, vel conservacione Collegiorum, vel aliorum priorum, & Religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum) factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum: Ac quacumque concessiones, & mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, & alijs præmissis taliter faciendis, revocavit, cassavit, & irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quacumque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quæ sanctitas sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis, etiam quæ motu proprio, aut ex certa scientia, & consistorialiter processerunt, & emanarunt litteris, etiam si in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore quomodolibet contentæ adversus revocationem, & irritationem hujusmodi voluit aliquatenus suffragari.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum

14 Item revocavit quascumque facultates concessas, quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs Prelatis, & personis, necnon Apostolicæ Sedis Nuncijs, ac fructuum, & proventus Camera Apostolicæ debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, & atatis defectibus, & de incompatibilitibus beneficijs Ecclesiasticis in simul retinendis, necnon de Notarijs publicis creandis, ac de disponendo, quomodolibet de quibusvis beneficijs Ecclesiasticis, & alias à præmissis officia ipsorum Nunciatorum, & Collectorum directè non concurrentes, etiam si in litteris desuper confectæ sint clausule restitutorie, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores, quas pro expressis haberi voluit, quoad omnia in quibus facultates ipse non sunt sortitæ effectum, etiam si Nuncijs eisdem, dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum, &c.